



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno CCCXXXII. ad annum CCCCLI.

**Parisiis, 1644**

III. Aduersus id, quod dicunt, ideo vnigenitum dici Christum, quia solus de Virgine natus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14584**

pantur: quia si ipse est Filius qui & Pater, crux Filii, Patris est passio: & quidquid in forma serui Filius Patri obediendo sustinuit, totum in se Pater ipse suscepit. Quod catholicae fidei sine ambiguitate contrarium est, quæ trinitatem vnitatis sic homouision confitetur, vt Patrem & Filium & Spiritum sanctum sine confusione indiuisos, sine tempore sempiternos, sine differentia credat æquales: quia vnitatem in trinitate non eadem persona, sed eadem implet essentia.

## I I.

In secundo capitulo ostenditur ineptum vanumque commentum, de processionibus quarumdam virtutum ex Deo, quas habere cœperit, & quas essentia sua ipse præcesserit: in quo Arianorum quoque suffragantur errori, dicentium, quod Pater prior Filio sit, quia fuerit aliquando sine Filio, & tunc Pater esse cœperit, quando Filium genuerit. Sed sicut illos catholica ecclesia detestatur, ita & istos, qui putant vnquam Deo id, quod eiusdem essentia, defuisse. Quem sicut mutabilem, ita & proficientem dicere nefas est. Quam enim mutatur quod minuitur, tam mutatur etiam quod augetur.

## III.

Tertii vero capituli sermo designat, quod iidem impii asserant, ideo vnigenitum dici Filium Dei, quia solus sit natus ex Virgine. Quod vtique non auderent dicere, nisi Pauli Samosatani & Photini virus hausissent, qui dixerunt Dominum nostrum Iesum Christum, antequam nasceretur ex virgine Maria, non fuisse. Si autem isti aliud de suo sensu intelligi volunt, neque principium de matre dant Christo, asserant necesse est non vnum esse Filium Dei, sed alios quoque ex summo Patre progenitos, quorum hic vnus sit natus ex femina, & ob hoc appelletur Vnigenitus, quia hanc nascendi conditionem alius filiorum Dei nemo suscepit. Quaquauersum igitur se contulerint, in magna tendunt impietatis abruptum, si Christum Dominum, vel ex matre volunt habere principium, vel Patris Dei vnigenitum diffitentur: cum & de matre is natus sit, qui erat Deus Verbum, & de Patre nemo sit genitus præter Verbum.

## IV.

Quarto autem capitulo continetur, quod natalem